



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

59. An Sacerdos mutus possit tempore necessitatis Eucharistiam aliis ministrare? Ex part. 5. tr. 6. res. 18. ibid.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

actus moralis, nec vilo modo voluta in se, vel in aliquo actu antecedente, & fuerit traectio merè materialis, & deglutiens ad summum tantum dici possit non ieiunus materialiter, & physicè, non verò moraliter, & humano modo. Vnde ex his infert Bossius n. 21. deglutientem casu, & violenter, & præter intentionem globulum ex saccharo, vel alium cibum, aut potum sibi dormienti, vel non aduertenti in os apertum, & guttur ab altero immissum cenferi ieiunium, vt possit celebrare, vel communicare eo die: quia in his casibus traectio illius cibi, vel potus ad stomachum, non est per modum cibi, & potus, scilicet non est vera comestio, vel potatio, seu potius est per modum respirationis, scilicet respirando, & attrahendo aërem, & consequenter, seu consequentiè illum cibum, vel potum aëri annexum, & coniunctum, seu inmixtum, sicut quando attrahitur ad stomachum musca, aut aliud animal ex improviso intrans in os apertum; ipsimet enim traiciens, seu deglutiens, & natura ipsa intendit tantum refrigerium per respirationem, ipsumque respirationis motum elicere, & aërem attrahere, cui attractioni postea per accidens, & consequenter propter intimam illius coniunctionem cum aëre, & organo ipso respirationis sequitur attractio illius cibi, vel potus non soluitur hoc ieiunium, nec impeditur receptio Eucharistia.

8. Sed hæc omnia ex mente Bossij dicta esse volo; nam Cardinalis Lugo, & Pasqualigus ab eius doctrina recedunt, licet Bossius ad argumenta, & instantias Cardinalis de Lugo, & Pasqualigi conetur respondere; sed ego propter reuerentiam debitam tanto Sacramento, quidquid sit de probabilitate speculationis horum dubiorum, si in facti contingentia acciderent, puto in tali casu abstinendum esse à sumptione sacre Eucharistia.

9. Noto hinc obiter cum Bernal ubi supra n. 11. quòd si credens iam esse mediam noctem, communicet; & postea deprehendat, se communicasse ante mediam noctem, poterit post mediam noctem iterum communicare, etiamsi post priorem communionem cibum sumperit, dummodo sit ante mediam noctem, quia suo iure vteretur.

RESOL. LVIII.

An in articulo mortis tempore pestis teneatur Parochus Eucharistiam infirmis ministrare. Ex part. 5. tr. 3. Ref. 53.

Sup. hoc infra in tr. 4. Ref. 26. §. 2. cursum ad medium, & in §. vlt. ad lin. 6.

§. 1. Affirmatiuam sententiam tenet Mancinus in practica visitandi infirmos, pract. 8. dub. 18. ubi docet quòd quamuis non sit necessarium simpliciter hoc sacramentum, tamen est necessarium moraliter, quia auxilium, quod per hoc sacramentum, datur, moraliter necessarium censetur ad perseuerandum in iustitia per penitentiam recuperata, & vincendas tentationes illo tempore occurrentes. Vel etiam, quia potest conferre gratiam primam, quam imperfecta penitentia prius non contulit. Et hanc sententiam docet etiam Iacobus Marchantius in candelabr. Sacram. tract. 6. de Extrema. Vnctione, lect. 3. fol. 387. Filliucius tom. 1. tract. 3. cap. 5. n. 99. & alij quos ego alibi adduxi, & adducit Philibertus Marchinus de bello diuino, part. 3. cap. 2. n. 2.

nlibi in Ref. A. n. præteritæ.

2. Sed ipse ibi n. 4. & seq. & meritò contrariam sententiam docet cum Philiarcho de officio Sacerdotis, lib. 4. cap. 3. Maiolo de irregular. lib. 2. c. 20. n. 3. Benzonio in speculo Episc. lib. 1. disp. 1. quest. 1. conclus. 6. Tabiena verb. Episcopus, n. 5. & alijs. Et ita de-

finiuit Gregor. XIII. anno 1572. die 10. Decembris. In quadam Epistola ad Cardinalem sanctæ Præsedis Carolum Borromæum, nunc inter Diuos enocatum, auditis Cardinalium votis sequentis tenoris die 10. Decembris 1577. Facta Sanctissimo relatione in Consistorio, Sanctissimus decreuit scribendas esse simpliciter literas ad Cardinalem sanctæ Præsedis, die 13. eiusdem mensis, Congregatio censuit scribendas esse literas in hanc formam. Parochi tempore pestis teneantur omnino residere in suis Ecclesijs parochialibus, & si non residere, agendum contra eos ex decreto c. 1. sess. 25. & seruata forma ibi prescripta; ministrent verò Parochianis peste iunctis sacramenta Penitentia & Baptismi per alios, licet Alciatus diceret quòd ex duobus victimis verbis videatur prohiberi, ne Parochi etiam volentes per se ipsos, hæc duo sacramenta ministrent, tamen tota Congregatio dixit, quòd ista erat mens Sanctissimi in prohibendo hæc Parochis ad commodum Parochianorum, qui sani essent. Hi enim veritatem nollent conuerfari cum Parochis euntibus ad infirmos peste. Ita sacra Congregatio, & hæc opinio intelligenda est, vbi Parochus pestilentiam confessorum audiuit, & absoluit; secus autem si infirmus non valuit confiteri, quia amiserit loquelam, vel est stultus, vel si adsit tantum Diaconus pro administratione huius Sacramenti.

RESOL. LIX.

An Sacerdos mutus possit tempore necessitatis Eucharistiam alicui ministrare? Ex part. 5. tract. 6. Ref. 18.

§. 1. Affirmatiuam sententiam docet Gratianus in disceptat. tom. 3. cap. 407. num. 6. ubi sic ait. Quamuis Eucharistia non debeat deferri ad infirmos, nisi per Presbyterum, cap. peruenit, de confessor. dist. 2. tamen stante necessitate, aut absentia, vel impedimento Sacerdotis, cum de hoc quaeritur, dixi posse concedi, vt Diaconus deferat, solus enim Sacerdos consecrare potest verbis à Christo institutis, sed consecratam administrare potest etiam mutus Sacerdos. Ita ille.

RESOL. LX.

An in articulo mortis, si alius non adsit, possit sancta Eucharistia à Sacerdote excommunicato nominatim, vel publico Clerici percipere? Ex part. 5. tract. 3. Ref. 49.

§. 1. Videtur negatiuè respondendum ex Resolutione in 3. part. quest. 82. art. 3. ubi sic ait. Quando periculum esset, ne aliquis moreretur sine viatico, eo quòd Pastor non adsit, nec ab eo possit peti venia, tunc quilibet Sacerdos censura non impeditus posset ministrare. Ita ille, quia licet Eucharistia sit necessaria, non tamen est ita necessaria sicut Baptismus, & penitentia, & ita non debet concedi administratio Eucharistia cum indocuita Ministri prohibiti ab Ecclesia.

2. Sed his non obstantibus, putat Zambrana de Sacram. Euchar. cap. 3. dub. 7. num. 2. quòd si infirmus periclitans possit recipere Eucharistiam, & non penitentiam, nec aliud sacramentum, vt si Sacerdos esset mutus, tunc posset licitè Eucharistiam recipere, etiam ab excommunicato nominatim, & ab alio quocumque, à quo posset recipere in tali articulo absolutionem sacramentali. Et in hoc